



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 162. Incæstus Armeniaci cum Sorore sua

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. CLXII.

Sæcul. XV.
A.C. 1454.*Incestus Armeniaci cum sorore
sua.*

Verum idem Comes pejori adhuc exemplo piæ fidelium mentes offendit, cum commercium longe turpissimum cum una ex sororibus suis (Isabella dicebatur) instituere haud dubitaret. Agebat illa vigesimum secundum ætatis annum, tantaque eminebat forma, ut nulli secunda esset; Hanc itaque Comes insano amore deperibat, nec illa nefandis amplexibus cedere abhorruit. Nicolaus Papa V, criminis hujus fama ad ejus aures perlata, Comitem anathemate percelsit, qui facti pœnitentia ductus, ad Regis ipsius preces censurarum, quas incurrit, absolutionem impetravit. Verum amoris scintillæ sub cineribus suis latitantes paulopost in novas eruperunt flammæ; cogitabat quippe omnino sororem suam matrimonio sibi copulare. Ne tamen hoc facinore offensionem populi incurreret, domesticum suum Sacellanum adiit, eidem falso obtentæ a summo Pontifice dispensationis fidem fecit, atque sorori suæ conjungi postulavit. Sacellanus nimia credulitate ductus, matrimonii solemnia peragit, non sine maximo totius Regni scandalo. Galliarum Rex,

Ee 2 acce-

Sæcul. XV. acceptis hac de re a summo Pontifice
 A.C 1454. literis, Marchiæ Comitem, & illustrem
Feminam Albritiam ad incæstuosum hunc
 Comitem eorum Nepotem eo consilio
 mittit, ut illum sublato scandalo ad sanio-
 ra reducerent; verum hi furdas pulsa-
 bant aures; quapropter Comes omnibus
 ditionibus suis exutus, totoque regno ex-
 ulare iussus est.

§. CLXIII.

Alphonsi Tostatati obitus.

*Rainerius
 Bovofius in
 Præf. oper.
 Tostat.*

*Bellarmin. de
 Script.
 Eccles.*

Luxit hoc anno Orbis Literarius Al-
 phonsum Tostatatum, quem Hispania
 merito inter præstantissimos Regni sui Vi-
 ros celebrat. Salmanticæ liberalibus
 disciplinis deditus, tantam rerum omnium
 scientiam adeptus est, ut vix duos &
 viginti annos natus, Philosophiam, ac u-
 triusque Juris prudentiam complexus, id
 quod paulo antea didicit, perfecte o-
 mnium judicio mox docuerit. Hic acu-
 tissimo cum esset ingenio, peracrique
 judicio, necnon memoria perquam tena-
 ci juxta ac felici, omnem liberalium ar-
 tium cognitionem exhaustisse videbatur.
 Omnium denique scientiarum compen-
 dium atque exemplar fuit, ita ut in sin-
 gulis versatus, uni tantum toto vitæ suæ
 decursu operam dedisse crederetur. U-
 tramque linguam Græcam, ac hebraicam
 non